



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm VI. Cùm sis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

in Hispania generalis consuetudo existat, ut Archiepiscopi etiam extra prouincias suas pallio indifferenter vtantur. Respondet Pontifex, Tamen si talis consuetudo dicenda potius sit corruptela, nihilominus ex gratia speciali indulgere se Archiepiscopo Compostellano, ut, si necessitate occurrente ordinationis Clericorum, vel Episcoporum consecrationis faciendæ, ad ecclesiam sibi subiectam tunc accedere nequeat, sed ad alienam se conferre cogatur, pallio vti ipsi liceat; dummodo is, ad quem ecclesia pertinet, id permittat.

## SUMMARIUM.

1. Non valet consuetudo, ut Archiepiscopus sine privilegio speciali pallio vtatur extra prouinciam suam.
2. Privilegium alicui concessum ita interpretandum est, ut aliis non fiat praeiudicium.

**NOTANDUM I.** Non valet consuetudo, ut Archiepiscopus, sine privilegio speciali, pallio vtatur extra prouinciam suam. Ratio est: Quia pallij concessio expressis verbis ad prouinciam limitatur: *intra ecclesiam suam eo vtaris*. Ergo contra primam pallij institutionem est, & contra proprios concessionis limites, si pallij vsus extra prouinciam extendatur.

**NOTANDUM II.** Privilegium alicui concessum ita interpretari oportet, ut alijs praeiudicium non generetur. Videl. Privilegium Archiepiscopo concessum, ut pallio in prouincia aliena vti ipsi liceat, explicari debet, si Prælati eius loci, consensum præbeat. Sed cuiusnam consensus hoc casu requiritur? Respondeo cum Abb. h. c. n. 1. & c. seq. n. 3. Si Archiepiscopus in aliena diocesi Clericos ordinare velit, in primis consensum habere debet proprii Episcopi; ne eius iurisdictionem inuadere censeatur. Deinde, si pallio vti velit inter ordinandum, necessaria ipsi est licentia Metropolitanæ: cum enim is pallium acceperit tanquam privilegium personale protota prouincia, seu om-

nibus ecclesiis prouinciæ suæ, sequitur, si alius Archiepiscopus in tali ecclesia pallio vtatur, id cedere in diminutionem iuris illius, nisi consensum præbuerit.

## CAPITVLVM VI

## Cum sis.

## SUMMARIUM.

1. In qualibet ecclesia sua prouincia Archiepiscopus, permissis diebus, Missam celebrans vti pallio potest.
2. Eodem vti posse videtur extra ecclesiam sub dio celebrans ob populi multitudinem, quam ecclesia non capit.

**N**on tantum in ecclesiis Cathedralibus, sed etiam in alijs prouinciæ suæ ecclesiis Archiepiscopus in diebus solemnibus inter Missarum solemnia pallio vti potest.

**QVÆRIT** hic Ioan. Andr. Quid si Archiepiscopus sub papilione in castris, aut in domo priuata propter necessitatem celebret, vtrum pallio vti possit? Videtur enim affirmandum arg. huius c. propter verbum *vbicumq;*. Sed Ioan. Andr. & alij negant. Quia iura iuribus concordare oportet, c. cum expediat, 29. de elec. in 6. Constat autem ex c. 1. vsus pallij ad ecclesias restringi: Ergo illud *vbicumq;* celebraueris explicari debet, in quacunque tuæ prouinciæ ecclesia celebraueris.

Arbitror tamen, si ob hominum multitudinem, quam ecclesia capere non potest, præforibus eius altare extruatur portatile, quod in eo Archiepiscopus celebrare possit solemniter cum pallio. Quia eius, quod per accidens in aliquo casu contingit, ratio haberi non solet. Atque hæc celebratio veluti subrogatur in locum eius, quæ in templo fieri deberet, ut proinde eisdem privilegijs gaudeat. Spectanda verò etiam in hac re est ecclesiæ cuiusque consuetudo.